

F. D. G.

SPECIMEN GRADUALE

VITIA  
REIPUBLICÆ  
SPARTANÆ

exhibens,  
QUOD,

*Approbante inclyto Philosophorum Ordine Regiæ ad  
Auram Academiæ,*

Sub MODERAMINE

**HENRICI HASSEL,**

ELOQUENTIÆ PROFESS. REG. & ORD.

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBJICIT

STIPENDIARIUS REGIUS,

**ANDREAS LUNDBOM,**

W. G.

*Die XX. Junii Anno MDCCLIV.*

H. A. M. S.

---

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Mag. Duc. Finland  
JACOB MERCKELL,

Academiae Aboënsis h. t. RECTOR MAGNIFICE!

*Maxime Reverende atque Amplissime VIR,*

**DN. CAROLE FRID.  
MENNANDER,**

S. S. Theologiæ Doctor & Professor Celeberrime,  
utriusque Consistorii Assessor Gravissime, Pastor in  
Rändämäki Meritissime, Reg Societatis Scient.  
Holm. Socie dignissime,

MÆCENAS INDULGENTISSIME,

**T**Uam, Vir Celeberrime, in Musarum cultores  
benevolentiam singularem & gratiam prolixam  
omnes mecum, quotquot ad hanc commorantur Acade-  
miam, perspiciunt concelebrantque. Hinc honorifica il-  
la nomina quotidie aures Tuas circumsonant, dum alii  
Te benignum fortune suæ Statorem nuncupant, alii  
Patronum propensissimum. Et merito quidem nuncu-  
pant, quum favoris Tui optata solatia in illos inprimis  
diffundas, quos cum adversa fortuna luctantes cernis;  
probe gnarus, memoriam beneficiorum in illis fore sem-  
piternam, in quibus spes remunerandi est nulla. Sed  
ab iis, que aliis affatim præstitisti, enumerandis li-  
benter

benter supersedeo, quum in me collata beneficiorum documenta vix mente assequi queam. Etenim Tu, Mæcenas indulgentissime, singulari comitate me ubique excepisti; Tu maturis & salutaribus mihi semper adfuisisti consiliis; Tu largo vastissimæ Tuæ eruditionis necesse me plures per annos satiasti; Tu denique eximia liberalitate asperitatem sortis meæ lenire & afflictas spes fulcire haud es dedignatus. Tot tantisque Tuis in me meritis, quæ dignæ unquam haberi possunt gratiæ? profecto vel sola memoria singularis Tui favoris vires ingenii mei sufflammat atque dicendorum copia ad tristem verborum inopiam me redigit. Permittas itaque Mæcenas optime, tacita sed humili veneratione Te prosequar; jubeasque, humillimus rogo, exiguum hoc meletema, omni nitore destitutum, præter illum, quem a Celeberrimo Tuo Nomine mutuatur, signum esse devotæ & nunquam intermorituræ pietatis meæ. Quam si dederis veniam, daturum autem spondet experta Tua facilitas, votorum ipse damnatus, ad supremum Numen calidas fundere preces non intermittam, velit Te, Vir Celeberrime, tamdiu mortalium rebus interesse, donec Patriæ, Ecclesiæ, Rei litterariæ omniumque bonorum desiderio, Tibi denique ipsi, atque nobilissimæ familiæ Tuæ abunde satisfeceris.

CELEBERRIMI, NOMINIS TUI

Clientis humillimus,  
ANDREAS LUNDBOM.

*Admodum Reverende atque Amplissime VIR;*  
**D<sup>N</sup>. LAURENTI  
NORING,**

*S. S. Theologiæ Doctor & ad Gymnasium Skarense  
Lector meritissime, Consistorii Aſessor æquissime, Pa-  
stor in Winkiöl & Marum Laudatissime, adjacentis-  
que diſtrictus Præpoſite adcuratiſſime,*

PROMOTOR MAGNE,

**E**Xpetunt favor em Tuum placidumque adſpectum, Vir  
Ampliſſime, pauca hæc pagella, quem ſi obtinuerint fe-  
lices admodum ſe judicabunt. Non equidem eo ornata ſunt  
habitu, ut Te dignæ videri queant; ſed quod comtiores non  
prodeant, obſtuit temporis anguſtia & curta auctoris ſu-  
pelleſ. Faveto tamen vel ideo juvenili huic labori, quod me-  
moriam beneficiorum & a Te, & in domo cognatorum Tuor-  
um mihi præſtitorum multo jucundiſſima effecit, ut hanc  
in primis arripuerim occaſionem gratum Tibi teſtandi a-  
nimum. De cætero, ſi fortunam ſpesque meas in poſterum  
Tibi commendatas habere velis, res ad vota mihi  
cecidiffe conſitebor, mearumque viciffim exit partium ſum-  
mum Deum precari, ut felicitatem Tibi Tuiſque per-  
petuam eſſe jubeat, Teque ſalvum & incolumem Eccleſiæ  
ac Reipublicæ Litterariæ quam diutiſſime conſervet.

ADMODUM REVRENDI NOMINIS TUI

*cultor humillimus,*  
ANDREAS LUNDBOM.



D. D.

§. I.

**Q**Uæ Lycurgum antecesserunt tempora adeo erant turbida, resque publica Laconia suo ita vicina exitio, ut sine hoc Legislatore diu salva & incolumis futura non fuisset. Eurytionidis namque familia, sua indulgentia, qua genium populi temper demulcebat, adeo feram reddiderat civitatem, ut effræna Lacedæmoniorum licentia nullis legum repagulis amplius coerceri potuerit. Serpsit adeo late hæc malorum contagio, ut in sacra imperantium capita quandoque lævitum fuerit. Tantæ cladis non fuit expers Lycurgus; vidit enim patrem suum Eunomum, Principem optimum inter parricidas civium manus indigno proflus fato extinctum. Hac perculsus plaga non tamen fractus filius, mortem patris ulcisci voluit, non conjuratorum sanguine manibus occisi parentando; sed a perdita vita ad meliorem frugem noxios reducendo. Animadvertit autem Lycurgus, ut vir erat prudentissimus, se, dum furere pergerent cives, nihil effecturum, expectandumque esse tempus, quo remedia ipsi sibi postularent. Ingratæ itaque cessit civitati, ad ea se conferens regna, quæ regnandi scientia omnium maxime florere ferebantur, optimum

A

impe-

imperandi modum in his sibi comparaturus. Primum igitur adiit Cretam, ob severas Minois leges cæteris celebriorem, indeque in Ægyptum transit, illud prudentiæ & scientiarum domicilium. Sed Sparta sibi relicta atque venenum illud, quod per ipsa regni vitalia magis magisque glisceret, ex sanguis fere tandem sentiens, Lycurgum ad formam imperii immutandam in Patriam arcessivit. Ipse igitur redux factus, talem induxit, ut regnum constitueret, sed tyrannidem aboleret, Ephoros creando, qui potestatem Regum justos intra limites coercerent. Populo autem concedebatur facultas senatores eligendi, suisque suffragiis vim legibus institutisque addendi. Hoc trium regularium imperii formarum temperamento obtinere voluit, ut pari ardore publica ac privata promoveretur salus, atque ut ne illa sine hujus dispendio negligi posset. Varias insuper tulit leges, quibus stabilita pax inconcussa maneret, modumque invenit civium animos ita his subjiciendi, ut virtutum palæstra & veræ politiæ sedes Sparta olim putaretur. Hinc Plutarcho teste, quicquid egregii in bene formata republica vel Plato vel Aristoteles mente tantum assecuti sunt, id ipso opere expressit Lycurgus, quem ideo Pythia Delphica φίλον τῶν Θεῶν, καὶ θεῖον μάλλον ἢ ἄνθρωπον salutavit. Quemadmodum autem in lucidissimo solis corpore maculas, quæ insitum ejus splendorem aliquantum immovent, observamus; ita etiam in illustri hac reipublicæ Lacedæmoniciæ forma, vitia, quæ de genuina ejus felicitate aliquid decerpserunt, detegere licet. Nostrum erit

ea, quæ sanæ politiæ & rectæ rationi adversa notavimus, paucis exponere. Innoxios vero hos conatus B. L. non displicituros speramus immo confidimus.

§. II.

**I**Nter varia Lycurgi instituta, quæ laudem omnino merentur; primum sibi vindicat locum illud, quo bonam liberorum educationem procuratum ivit. Ut enim dicere solebat, liberos minus ad suos parentes, quam ad patriam pertinere; ita in illis educandis publicæ utilitatis potissimam habendam esse rationem censuit. Proinde non intra privatos lares, sed publicis in locis illos institui iussit. Communes etiam adultiorum mensæ fuerunt, communes & vulgares epulæ. Has non fastidiebat Spartanus, quum majorem diei partem, cursu, venatu aliisque duris corporis exercitiis consumeret. Porro, quum Lacedæmonii ab ipsis cunis rei militari destinarentur, summa apud illos virtus in patientia ponebatur. Hinc Spartana patientia non minus ac Stoica in proverbium abiit (\*). Quamvis autem cives suos milites fecerit Lycurgus, non tamen in aliorum exitium, sed in propriam salutem illos armavit; nec temere inferentes bellum, sed illatum repellentes fortes censuit. Hostes in fugam verfos non ultra persequiebantur Lacedæmonii, quam dum constaret, se victoriam obtinuisse. Neque gloriosum hoc magis erat quam utile. Hostes enim, qui scirent, se perituros, si in acie remanerent, si recederent, salvos evasuros, fugere sæpe quam resistere præoptabant. Præclarum quoque illud in institutione Lycurgi æstimari debet, quod inter alias virtutes,

obsequium præcipue liberis inculcandum curaverit (b). Sine itaque propositis pœnis, sola parendi consuetudine, severissimæ Spartæ leges diu observatæ fuerunt, easdemque violare fuisset naturam mutare. Merito ergo Xenophonti persuasit Agesilaus, ut filios suos Spartam mitteret, ubi præstantissimam virtutem politicam dilcerent: regi & regere (c).

(a) *Patiens Lacedaemon Horat. l. 1. od. 7. Injuriam Spartana patientia comcoxit Stobæus Serv. XCIII.* (b) ὡσεὶ τὴν παιδείαν εἶναι μελέτην εὐπειθείας Plut. l. c. p. 50. (c) μαθησομένων τῶν μαθημάτων τὸ κάλλιστον ἄρχεσθαι καὶ ἄρχειν. Plut. in Ages. p. 606.

### § III.

**H**Æc sunt ea, quæ in institutis Lycurgi laudanda putamus; sed nec pauciora in eisdem obveniunt reprehensione digna. Vitiis hujus reipublicæ adnumeranda primum est *expositio liberorum*. Ut enim infantulus in lucem editus erat, seniores cujuslibet tribus convocabantur, tolleretur ne, an vero exponeretur, judicaturi. Cui firmum corpus, apta & nervosa membra contigerant, ille amplexibus parentum excipiebatur; qui autem vitio alicui corporis obnoxius erat, aut constitutione infirmior censebatur, in sylvas & trivias abjiciebatur. Quid vero crudelius esse potuit, quam liberos nævo quodam laborantes, ultimo mactare supplicio, & vita privare omnes, qui laboribus belli perferendis impares futuri viderentur. Quot in prima infantia tenui fuerunt valetudine & gracili corpore, qui tamen, ubi adoleverant, facti sunt robustissimi? Præterea, quæ in formando corpore parca est natura, non raro defectum hunc præstantissimis ani-  
mi



mi dotibus compensat. An vero civitati minus profunt, qui prudentiam in eadem administranda, solertiamque in bellis componendis adhibent, quam qui arma capiunt & bella gerunt? An Lycurgi sapientiæ pauciora debet Sparta, quam Paulaniæ & Lylandri fortitudini? Profecto horum gesta, Cicerone teste, ne minima quidem parte Lycurgi legibus & disciplinæ sunt conferenda (d). Agesilaus erat & claudus altero pede & adeo exigua forma, ut ad ejus adspæctum Ægyptii in risus tori solverentur; nihilominus suis phalangibus in Asia ita intonuit, ut Rex Persarum fulmina ejus in ipso suo palatio perhorresceret. Sed quid opus est multis? Lex naturalis vetat, quemquam innoxium occidere, cum qua sanctione, quæ Lacedæmone & alibi in usu fuit expositio infantum adversa fronte pugnabat. (d) *L. I. de Offic. C. XXII;*

§. IV.

**N**E vero Respublica Laconica modo dicta liberorum expositione civibus privaretur, Lycurgus vagos concubitus non solum concessit, verum etiam indixit. Quamvis itaque fœminæ in matrimonium ducerentur, eadem tamen instar communium bonorum habebantur. Laudat admodum hoc Lycurgi institutum Xenophon, ut præcipuum quendam modum urbes industriis civibus augendi. Etenim, inquit, hac ratione fœminæ binas domos occupant, & mariti earum liberis suis fratres acquirunt, qui in generis quidem ac virium societatem veniunt, a facultatibus tamen excluduntur (e). Cuicumque autem aliquis restat honesti sensus, institutum hoc Lycurgi, ut

ut atrocissimum facinus non potest non improbare; Spartamq; averfari, in qua quot domus tot lupanaria exstiterunt. Præterea ut illegitimo toro suscepti propter ignominiam ipsa nativitate contractam nunquam non erubescunt; ita ipsa *σοφῆ* in summum adversus parentes odium degenerat. Quanta autem hinc provenerint mala, ipsa satis superque sensit Lacedæmon, quum in bello Melenico viris fere exhausta, per discessum Partheniarum, qui infamiam adulterio matrum collectam terre non possent, prope ad incitas fuit redacta. (e) *Xenophon. de Repub. Laced. p. m. 535.*

§. V.

**I**N superstites autem filios tantum sævitæ exercebant Lacedæmonii, ut horum ne, an eorum, quos recens natos fatum occupavit, tristior fuerit fors, dubium videatur. Scilicet in honorem Dianæ festum celebrabatur, cuius sacra in eo consistebant, quod pueri in ara immitis hujus Deæ flagellentur. Quam sæva hæc fuerit castigatio vel inde patet, quod sanguis per acceptas strias large manaret, in aliis virgæ diriperent tergora costis, alii vero, ut refert Plutarchus, qui cruentos hos lusus ipse spectaverat, sub ipsis plagis sine lacrymis sine gemitu animulas suas efflarent. Ipsi illos hortabantur parentes, ut ictus flagellorum fortiter perferrent, atque laceros & semianimes rogabant, ut perseverarent vulnera vulneribus cumulata excipere. Quam hoc institutum fuerit horrendum & ab omni humanitate remotum, nemo non videt. Et quæ sic parabatur fortitudo, care nimis erat redempta, quasi vero non alii fortes evaserint & bellicosi, quam qui talem subiverant carnificinam. §. VI.

## §. VI.

**H**Æc in prima infantia patiebantur Lacedæmonii, quæ hanc excipiebat ætas nec mitior fuit nec jucundior. Ut enim singula Lycurgi instituta eo tendebant, ut cives suos fortes tantum redderet milites; ita durissimis laboribus illos assuefecit, adeo ut nullum ipsis otium nisi in luctis, cæstibus & venatu reliquerit. Famem, sitim, æstum ac frigus omnes ferre cogebantur, ita ut summus Rex Agesilaus nudis pedibus per deciduam nivem in concionem populi; quamvis ætate jam provectus venire haud perhorruerit. Porro virgines pariter ac adolescentes instituebantur, exercebanturque, ut sexus uterque, urgente necessitate, æque promptus esset ad excipiendum propulsandumque hostis impetum. Et quum non raro contingat, ut, quæ ad horrenda Martis fulmina obduruerant pectora, ad blandas veneris flammæ sensim liquefiant; apud Lacedæmonios sancitum fuit, ut juvenes & puellæ e regione positi nudis corporibus certamina acerrime cicerent; quo sic discerent & truces illius minas & molles hujus blanditias alto spernere supercilio. Hominibus hinc velut in castris natis atque inter prælia enutritis, nihil aliud propositum fuit, quam bella gerere atque in armis ætatem consumere. Quis autem probaverit rempublicam ita formatam, ut his tantum constet civibus, quorum unum sit negotium, eam defendere cæteris omnibus neglectis? Profecto talis civitas quum fontem opulentia nullum habeat, nec feliciter alios aggredi, nec si ipsa appetatur, diu resistere valet, nisi prompta subsidia socii

focii miserint. Indubium igitur est, quod nisi posteri Lacedæmoniorum a sociis suis pecunias aliaque vitæ sustentandæ necessaria impetrassent, quæ non tellus ipsa Laconica, sed hujus Legislatoris nimia austeritas ipsis denegabat, paupertate contrabuisset, nec extra Spartam spartana arma extimuisset quisquam.

## §. VII.

**I**N institutione Lycurgiana nec illud reticendum, quod licet cives suos, dum publicis discumbebant mensis, tenui victu contentos esse coëgerit, illis tamen concessit cibos & obsonia, undecunque possent, rapere, iisque latrantem implere ventrem. Inprimis autem pulcrum Spartæ fuit, quam plurimos caecos ab Orthiæ Deæ ara posse subducere. Qui autem in hoc sive furto sive sacrilegio deprehendebatur, flagris vehementer cædebatur, non ideo quod furatus esset, sed quod furtum melius non occultasset. Sic duplicata scelera virtutum in numerum referebantur. Quod si amissas opes coram magistratu quis conquereretur, qui acceperat, non autem qui tecerat injuriam pœna mulctabatur, quod debitam in suo tuendo curam non adhibuisset. His autem artibus se consecuturum speravit Lycurgus, ut cives ad comparandum in bello comœatum solertiores cautioresque fierent, siquidem qui furto aliquid ablaturus est, necesse habet, ut noctu vigilet, interdiu fallat, insidietur semper. Merito autem hanc Lycurgi rationem miramur, qui ut cives suos satis astutos ad decipiendos hostes redderet, Patriam in latronum speluncam commutare vellet; quasi non aliæ præter scelera, essent prudentiæ cotes.

## §. VIII.

§. VIII.

**U**T luxus &, quæ illum comitari solent mala, à Sparta exularent, nummos aureos & argenteos severissime interdixit Lycurgus, hisque substituit culas ferri laminas vilissimi pretii, sed tantæ molis, ut mediocris admodum ejusmodi pecuniæ summa, ab uno ad alterum transferenda, ingens, quo vereretur, plaustrum requireret. Eandem ob causam commercia cum exteris prohibuit, quod eo facilius obtinere licuit, quia portentosa ista moneta ab aliis spernebatur, nec in civitate œconomia & artium incuriosa ullæ suppetebant merces, quarum permutatione sustineri posset commercium. Sic cives Spartani omnibus exuebantur subsidiis, quibus leniri solet vitæ humanæ asperitas, & in eam redigebantur conditionem, quæ si non deterior, saltem nec multo melior esset forte brutorum animalium. Quod si cum Lycurgo fingamus, ad devorandas molestias, ad pericula belli subeunda hominem unice natum; præter prudentiam tamen erat pecuniarum usum, ubi semel invaluit, tollere: incidunt enim sæpe illa tempora, ut Mars adminiculo Mercurii carere non possit. Ipsa profecto Sparta in bello Peloponnesiaco satis sensit; pecuniam esse rerum gerendarum nervum. Etenim Lysander feliciter rem gessit, quod magna auri vis ipsi a Cyro Juniore suppeditaretur; contra Callicratidas his subsidiis destitutus, ipse simul cum classe interiit. Merito igitur de Lacedæmoniis dictum est, quod, qui ali-

orum imperium præfracte detrectarent, ipsos non pudit coram barbarorum auro sese prosternere.

## §. IX.

**N**E autem luxus aliquando in civitatem Laonicam irreperet, talia eidem Lycurgus objecit obstacula, ut nemini civium suorum permiserit exterarum adire regiones, ne mitiores harum mores imitando patrios tandem exuerent. Exteri quoque in urbem hanc vel non intromittebantur, vel intromissi Laonico parco & parabili victu contenti esse cogebantur, ut imprimis Dionysii Tyranni exemplo constat (*f*). Qui itaque aliis in locis nati erant, raro Spartam invisebant; quæ proinde a cognitione adjacentium regionum erat discreta. Enim vero etiam hoc institutum illi reipublicæ valde perniciosum judicamus, cujus cives rei militari omnes destinantur. Sive enim bellum aliis cum successu inferendum est, sive illatum feliciter repellendum, ante omnia perspectum erit, quantis quamque fortibus copiis hostes sint instructi, quam numerosam armare queant classem, quos qualesque habeant socios, & qui sint illis virium fontes; hæc autem & plura alia illos fugiunt, quibus cum exteris nullum est commercium.

(*f*) Cicer. *Tuscul. Quæst. L. V.*

## §. X.

**P**orro scientiis bellum indixit Lycurgus; causatus hebescere per litterarum studia ingenitam virtutem, mollesque & effœminatos reddi, qui umbratico

bratico vivendi generi advescunt. Verum sic etiam cives suos pluribus maximisque spoliavit commodis, quæ artes ingenuas comitantur. Hinc quoque arcessenda est ratio, cur vix rude magis vulgus aut agrestiores homines inter antiquos exstiterint: adeo ut nemini mirum sit, si ob incompósitos mores & feritatem prope belluinam totius fere Græciæ animos a se alienaverint Lacedæmonii.

---

Clarissime Dn. CANDIDATE.

**D**Ebere eos qui beneficium acceperunt, gratos esse, jam dudum res est notissima, ac tum in Sacris, tum humanis Litteris approbata. Quid vero majus beneficium vel concipi unquam mente potest, quam Informatione alicuius gaudere solidissima? Integrum jam excurrit biennium, ex quo ea mihi obtigit felicitas, ut Te, Cl. Dn. Candidate, studiorum meorum Moderatore frui licuerit. Quæ per breve hocce temporis intervallum Tui in me amoris expertus sum pignora certissima, non enumerare, multo minus laudibus debitis exornare valeo. Patiaris itaq; obsecro, Præceptor fidelissime, beneficia Tua in me cumulata, potius in animo pietatis ac reverentiae pleno latere, quam verbis succo & sanguine destitutis prædicari. Occasionem tamen hanc prætermittere piaculum mihi videbatur; quin lineolis quibusdam, rudi licet Minerva conscriptis, gratū animū quodā modo testatū redderem. Proinde gratulor Tibi tam insignes in Litteris profectus, gratulor lauream, capiti Tuo mox imponendam, gratulor Republicæ optimum civem, gratulor,

gratulor denique mihi doctissimum ac maxime industrium  
Informatorem. Accipe igitur Cl. Dn. Candidate, pro opere  
voluntatem, Tibi pro tot tantisque amoris & favoris docu-  
mentis, in aeternum consecratam. Quod restat, piae men-  
sis calidissima vota paucissimis hisce includam: Favcat Deus  
T. O. M. conatibus Tuis honestissimis, ut vortant in Eccle-  
siae & Reipublicae emolumentum, ac merito indefessi labo-  
ris praemio condecorentur. De cetero, matre esto qua gau-  
des virtute, eaque diu felicissimus fruiere! Vale, meque eo-  
dem, quo antea amore & favore prosequere.

Sic ex sincero cordis affectu vobet,

P. P. JUSLEEN,  
Aboo-Fenno.

---

Clarissime Dn. CANDIDATE.

**Q**lli sedulae ingenuarum artium culturae tempus suum  
consecraverant, exoptatos quoque laborum fructus con-  
sequuntur, eruditionem veram & hujus praemium, honores.  
Hoc tibi, Cl. Dn. Candidate, dudum fuit perspectissi-  
mum, qui cursum studiorum alacriter inchoasti, varia inter  
fortunae obstacula constanter continuasti, feliciterque modo ab-  
solves. Quum igitur alterum jam scientiae Tuae Philosophicae  
specimen editurus es, meritis propediem honoribus ornandus, mi-  
bi temperare nequeo, quo minus animi laetitiam inde exortans  
publice expromam. Cumulet Te, Deus T. O. M. omnibus omni-  
um generum bonis! Caepis honestissimis perpetuos addat suc-  
cessus! Fructus industriae largiatur uberrimos! Haec sunt va-  
ta, quae pro Praeceptore fidelissimo, amantissimo, aestumatissi-  
mo fundere nunquam est intermissurus

discipulus venerabundus & addictissimus,  
SIGFRIDUS PORTHAN.

\* \* \* \* \*